



20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA 78

DE

S O M N I I S 1758

QVAM 99

INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO

IO. FRIDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CA-

MERALIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ALVMNORVM

REGIORVM EPHORO, ACADEMIAE SCIENTIARVM MO-

GVNTINAE SODALI,

PRAECEPTORE AC FAVTORE SVO

PIE COLENDO,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

D. XIII. OCTOBR. MDCCCLVIII.


PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET

AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS SCHVLZE

HALENSIS,

ALVMNORVM REGIORVM ET SEMINARII THEOL. INSPECTOR.



HALAE,

EX OFFICINA FRANCKIANA.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

DE

ARTIBUS PHILOSOPHICIS ORDINE

IO: FRIDERICO WOLFFENBUTTER

ALUMNO

IN

UNIVERSITATE

WOLFFENBUTTER

ANNO

MDCCCLXXXIII



PERILLVSTRI
SVMME VENERANDO, EXCELLENTISSIMO
A C
GRATIOSISSIMO DOMINO
D O M I N O
FRIDERICO AVGVSTO
DE BODEN

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS
CAMERAE, QVAE MAGDEBVRGI REVS BELLII ET REGIIS
REDITIBVS INVIGILAT,

DIRECTORI GRAVISSIMO,
ORDINVM DVCATVS MAGDEBVRGICI MEMBRO,
COMMISSARIO PIORVM CORPORVM SPLENDIDISSIMO,

ADMODVM
REVERENDI CATHEDRALIS COLLEGII, QVOD A S. SEBA-
STIANO NOMEN DVCIT,

SVMME VENERANDO DECANO,
HAEREDITARIO DOMINO COENOBII MANSFELDENSIS
CAET.

DOMINO ET MAECENATI SVO
GRATIOSISSIMO,

HOC INAVGVRALE SPECIMEN

IN MONVMENTVM
DEVOTISSIMAE AC PRO TOT SPLENDIDIS
IN SE SVOSQVE COLLATIS
BENEFICIIS GRATISSIMAE MENTIS,
CVM ARDENTISSIMIS VOTIS
P R O
P E R E N N I S A L V T E
ILLVSTRISSIMAE GENTIS DE BODEN

NVNCVPATIS,

D. D. D.

GRATIOSISSIMI MAECENATIS

HVMILLIMVS CVLTOR

IOANN. LVDOV. SCHVLZE.

PRAESTANTISSIMO

DOCTISSIMOQUE

HONORVM PHILOSOPHICORVM

CANDIDATO

S. P. D.

IOHANNES FRIDERICVS STIEBRIZ.

Ex quo, post solide iacta in scholis inferioribus fundamenta, in Academiam concessisti, tum mihi tum aliis et excellens, quod Providente Summo Numine habes, ingenium, et incredibilem in discendo ardorem, et, quod praecipuum esse arbitror, animum veri bonique amantissimum, comprobasti. Mibi ideo quam maxime in votis fuit, ut, quo coeperas, tramite, strenue pergeres, nihil confusus natu-

) 3

rae



rae dotibus, nihil a consueta diligentia remittens, nihil ad deuia delapsus. Non caruerunt pia vota successu: norunt enim omnes, quibus TE propius noscendi occasio data fuit, TE tum in comparanda linguarum orientis et occidentis notitia, tum in hauriendis scientiis humanis et diuinis, adeo fuisse occupatum, vt Commilitonibus palmam nisi praeripueris omnino, dubiam saltem feceris, indeque Venerandorum atque Excellentissimorum huius Almae Professorum laudes et beneuolentiam plane merueris. Neque hic sublitit T V A, VIR PRAENOBILISSIME, diligentia; sed horis, quas vocant, subcisiuis veteres pariter, Romanos scilicet et graecos, atque recentiores optimaee notae auctores tanta cum cura voluisti, vt insignem prorsus eruditionem inde reportaueris; quam non solum pluries publicis aliorum oppugnationibus, verum etiam luculentis librorum rariorum, qui in bibliotheca Baumgartenia

nia adseruantur, recensionibus, aliaque ratio-
ne satis superque demonstraſti. Felicem prae-
dicarem noſtram Academiam, ſi multos TVI
ſimiles, cum litteris haud fucatam virtutem
coniungentes, ſinu ſuo complecteretur! Quae
cum ita ſint, Ordinis Philoſophici Profeſſores
non ſine voluptate perceperunt, cum TVVM
TV de honoribus Philoſophicis capeſſendis con-
ſilium ipsis aperires; nihilque morati, ad con-
ſuetum TE examen admiferunt, in quo talem
TE geſſiſti, qualem TE eſſe ſunt augurati. Vi-
ribus itaque TVIS, quantum ſatis erat, explo-
ratis, decreuerunt TIBI quaefitos honores,
quibus a me condecoraberis, ſimulac ſpeci-
men inaugurale, quod TIBI ſoli debetur, et
in quo ne litteram quidem mutavi, aduerſus
oppugnationes Virorum Celeberrimorum et
Doctiſſimorum maſcule defenderis. Mihi iam
nihil reliquum eſſe video, quam vt TIBI,
Dignitatem doctoris in Philoſophia, mox
in-

induendam, ex animo gratulatus, fausta quae-
libet ex fonte omnium bonorum, Deo, im-
pense adprecer, nihil plane dubitans, quin
in Commilitones, quibus TE omnimode
commendo, plurimum utilitatis ex TVIS la-
boribus academicis, in posterum exantlandis,
sit redundaturum. Vale, vestigia b. Parentis,
immortalis famae Viri, numquam non lege,
meque, quod facis, ama! Dabam in Frideri-
ciana d. VI. Octobris MDCCLVIII.



PRI-



PRIMAE HVIVS DISSERTATIONIS
LINEAE.

I. Sectio prior, Historiam opinionum de
somnia exhibens

1. Introitus §. 1.
2. ipsa harum opinionum enumeratio. Agmen ducunt
 - 1.) qui causam somniorum extra hominem quaesierunt, eam
 - a. vel a summo Ente aut a Diis superioribus derivantes, §. 2.
 - b. vel ab inferioribus spiritibus; §. 3. Quae opinio
 - a. generatim exponitur, §. 4.
 - 2.) ad Daemonologiam veterum applicatur, §. 5. Quo pertinent systemata
 - aa. Pythagorae, §. 6.
 - bb. Plutarchi, §. 7.
 - cc. Andr. Baxteri, §. 8.
 - c. vel a corporibus extra nos positis, §. 9. Huc refero systemata
 - aa. Lucretii, §. 10.
 - b. Democriti, §. 11.
 - γ. Epicuri, §. 12.
 - 2.) qui in ipso homine causam somniorum delirescere volunt, §. 13.
 - a. vel in solo Mechanismo corporis, §. 14. ex mente
 - aa. Aristotelis, §. 15.

ε. Hobbesii, §. 16.

b. vel in sola anima, §. 17.

c. vel in anima et corpore simul §. 18-10.

II. Sectio posterior, in qua vera indoles somniorum ex natura animae nostrae, corporis conditioni se accommodantis, eruitur.

1. Nexus, §. 21
2. Praecipuae notiones:
 - a. vigiliae, §. 22.
 - b. somni, §. 23.
 - c. status animae vigilantis et somniantis, §. 24.
3. Somniorum
 - a. definitio, §. 25.
 - b. distinctio, §. 26.
 - c. propior consideratio:
 - a. primae eorum originis, §. 27.
 - ε. verae eorum indolis, quae
 - aa. generatim proponitur, §. 28-30.
 - bb. vindicatur, §. 31. 32.
 - γγ. ad priora Phaenomena explicanda applicatur, §. 33-38.
 - γ. eorum durationis, §. 39.
 - δ. eorum cessationis seu finis, §. 40.

A

SECTIO

HISTORIAM OPINIONVM DE SOMNIIS EXHIBENS.

§. I.

Introitus.



Paucissimi eorum, qui doctrinam de Somniis explicare aut illustrare aggressi sunt, viribus ad dissipandas tenebras, quibus illa involuitur, satis instructi, aut a praeconceptionis opinionibus liberi, ad hoc negotium accesserunt. Hinc illa sententiarum divortia! Fuerunt, qui vel *καυατωρῶν* studio, vel ex ignorantia naturae animae, quicquid huc pertinet, vnicui Deo adscripserunt. Alii totam hanc de Somniis tractationem vel nihili esse putarunt, vel si aliquod ipsi statuerint pretium, nodum in scirpo quaerentes, tot tantisque difficultatibus eam implicarunt, ut verum a falso dignoscere et lucem e tenebris protrahere, haud immerito arduam rem dixerim. Quam ob rem haud abs re esse arbitratus sum, si, ut simul meas vires periclitarer, historiam harum opinionum ex fide dignis monumentis exarare constituerem. Ad duo autem capita omnia referam. *Primum* locum occupabunt, qui causam somniorum extra hominem quaerunt, eam *vel* a summo ente, *vel* ab aliis spiritibus, *vel* a corporibus extra nos positis, deducentes. *Altera* classis eorum erit, qui causam huius phaenomeni in ipso homine delitescere volunt, eamque *vel* ex solo Mechanico corporum *vel* ex sola anima, *vel* ex utroque principio ducunt.

Difficultates huius laboris eleganter depingit cæl. FORMEZ, Vir ingenii et eruditionis laude plane insigni conspicuus. (a) Haec sunt illius verba: *Je me propose d'examiner l'état de l'ame, pendant cette partie de la vie, qu'un besoin indispensable nous force de consacrer au repos.*

(a) Essai sur les songes, *Melanges philosophiques*, T. I, p. 174.

repos. L'entreprise est épineuse. Il faut suivre l'ame dans des cir-
constances, où elle semble vouloir nous dérober sa marche. Il faut
rendre raison d'un état bizarre en apparence, où l'ame a des idées, sans
en avoir la connoissance réfléchie, éprouve des sensations, sans que les
objets externes paroissent faire aucune impression sur elle; imagine des
objets, se transporte dans des lieux, s'entretient avec des personnes,
qu'elle n'a jamais vu. - - -

§. II.

Inter illos, qui causam somniorum extra hominem quaesive-
runt, *primum* locum occupant, qui a supremo Numine vel a Diis
superioribus originem illorum deducunt. Neminem, qui in veterum
scriptis, ut de recentioribus taceam, non plane hospes est, fugiet,
plures olim hanc sententiam adoptasse, praecipue autem Poetas, qui
Iouem tanquam Deum ex machina haud raro euocant, eandem suam
fecisse. Quod ne temere adfluxisse videar, ex tanta testium copia
vnum alterumque producere sufficiat. Instar omnium est HOMERVS,
Poetarum facile princeps. *Achillem* is cum *Agamemnone* de pericu-
loso graeci exercitus flatu ita loquentem inducit (b).

Somnia a
Deo profici-
sci creduntur.

Ἀλλ' ἄγε θη τινα μαντιν ἔρειμεν ἢ ἰεζεῖα
Ἦ καὶ ὄνειροπολον. καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐν Δίῳ ἐστίν.

Alibi *Iouem* ipsum *Achilli* perniciosum somnium immisisse refert.
His vititur verbis (c):

Ἦδε δε οἱ (Ἰοῦ) κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνεται βουλή
Περμύει ἐπ' Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ὄυλον ὄνειρον.

Diuinam huius somnii originem ipse *Achilles* testatur (d):

Κλυτε φίλοι, θεῖος μοι ἐνυπνιον ἤλθεν ὄνειρος
Ἀμβροσίων δια νυκτῶν.

His adiungo notatu digniora verba ACHMETIS SEREIMI F. ce-
lebris inter veteres Oneirocritici. (e) Statim in lumine operis mo-
net:

A 2

net:

(b) II. 2. 62. (c) II. β'. 5. 6.

(d) II. β'. 56. 57.

(e) Industriae et studio NIC. RI-
GALTIJ. debemus elegantem, cam-
que oppido raram, collectionem non-
nullorum de somniorum interpreta-
tione scriptorum, quae ut e naufraga
tabula ad nostra tempora perue-
nerunt.

net: Haec interpretamenta a me traduntur, non ut eis quasi certissimis et exploratissimae veritatis praedictionibus fides habeatur, sed ut divinae per insomnia admonitiones ab hominibus intelligantur, iisque ipsi moniti, Deum non temnant, sed ab erroribus respiciant. Et (f) in secunda huius libri sectione, ex Danielis, aliorumque Prophetarum exemplo probat, ὅτι Θεὸν τι μνησκει περὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν τε καὶ Φαυλῶν παντὶ τῷ λαῷ ἢ τῶν ὀνειρατῶν ὅψις ἐστὶ, unicuique visiones per somnia oblatas, bonorum malorumque indicium diuinitus concessum esse. Eodem fere modo PHVRNVTYS (g) somnia Deorum nuncior vocat, his verbis: Θεῶν ἀγγελοὶ ὀνειροί. Sed quid de M. TVLLIO CICERONE dicam? Dubia est hac in re viri huius alioquin magni autoritas. Diuinam somniorum originem modo adstruit, modo respuit. Deos existere, et huius vniuersi curam gerere, inter alia argumenta ex auctoritate augurum et aruspicum probat. (b) Haec - - inquit, qui videat, nonne cogitur consideri Deos esse? Quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est. Deorum autem interpretes sunt: Deos igitur esse fateamur. His alibi (i) addit: Multa cernunt aruspices: multa augures prouident: multa oraculis declarantur, multa ratiocinationibus, multa somniis, multa portentiis: quibus cognitae multae saepe res hominum sententia atque uilitate paratae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur siue vis, siue ars, siue natura ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec ab ullo alio alicui, quam a Diis immortalibus data. Et alio denique loco (k) somnia ad nos ab Ioue mitti adstruitur. Errant, qui ex verbis iam adductis sibi persuadent, CICERONEM vim diuinam effectricem somniorum statuisse. Pronus equidem ac facilis ad hunc errorem transitus est, si primum, quem de *Divinatione* conscripsit, librum euoluimus: alterum autem qui attente legerit, aliter sentiet. Quam in tribus de *Natura Deorum* libris, sub persona

VELLEII,
COTTAE

aerunt. Collectio haec inscribitur: I. BAYMGARTEN Nachrichten von ARTEMIDORI DALDIANI ET ACHMETIS SEREIMI F. Oneirocritica, merckw. Büch. Vol. 5. p. 405. sq. (f) de Indorum Disciplina, c. 20. ASTRAMPSYCHI ET NICEPHORI versus etiam Oneirocritici; NICOL. RIGALTII ad ARTEMIDORVM Notae, Lutetiae ex offic. CL. MORELLI C1703. 4. prodiit. Vide (g) de Nat. Deorum I. II. p. 55. edit. parif. ROB. STEPHANI. (i) l. c. p. 115. (k) in sine I, III, de Natura Deorum.

COTTAE et BALBI, quos loquentes inducit, adstruere videbatur, sententia, pluribus in primo de *Diuinatione* libro, vbi fratrem QVINTVM in aciem producit, munire et firmare, primo saltem intuitu, videtur. *Profecto* inquit, (l) *hominibus a Diis futura significari necesse est, sed distinguendum, videtur, quonam modo. Non placet Stoicis, singulis iecorum fisis aut autum canibus interesse Deum, neque enim decorum est, nec Diis dignum -- sed ita a principio inchoatum esse mundum, vt certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in auibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, caet.* Mitto reliqua loca quae pro diuina somniorum origine ex hoc primo de *Diuinatione* libro large depromi possent. At vero in altero libro, quem de hoc argumento concinnauit, totus in eo est CICERO, vt QVINTVM refutet, diuinationemque omnino nullam, aut infirmis fundamentis superstructam esse, euincat. Acriter perfringit somniorum interpretationes, omnemque eorum, quam creduli homines iactant, diuinam originem. *Quodsi insanorum, inquit, (m) visis fides non est adhibenda, quod falsa sunt: cur credatur somniantium visis, quae multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo; an quod insani sua visa coniectori non narrant, narrant qui somniauerunt? Irridet bonos viros, qui Deum autorem somniorum dicunt, vnde concludit: (n) Si igitur neque Deus est effector somniorum, neque naturae societas vlla cum somniis, neque obseruatione inueniri potuit scientia, effectum est, vt nihil profus somniis tribuendum sit.* Haec licet dissimillima sint, facile tamen CICERONI ignoscat, qui nouerit, Academicam sectam, cui nomen suum dederat, sibi maximae laudi duxisse, nihil disertis verbis affirmare aut negare, sed de aliorum opinionibus scite et ingeniose in vtramque partem disputare. Audiamus ipsum CICERONEM, totam hanc disceptationem his fere verbis finientem. *Cum autem inquit, proprium sit Academiae, iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre causas, et quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam caet.*

Multa de Somniis, pro libertate sua ingenique fertilitate, eceine-
runt Poetae tum latini tum graeci. Operae pretium erit, hos ingenii
A 3 lufus

(l) de *Diuinatione*, I. I. p. 204.
(m) de *Diuinat.*, I. II. p. 261.

(n) *ibid.* p. 271.

Iufus paucis attingere. Si PHVRNVTVM (o) et IVLIANVM AVRELIVM LESSIGNIENSEM (p) audiamus, Mercurius autor fomni fomniorumque est. Tribuebant ipfi veteres virgam vt symbolum imperii, quod eum in fomnia exercere putabant. Haec ita enunciat PHVRNVTVS: Παρθρον αυτου ερχεταιζουσι, τη τ' ανδρων ομματα δελγει, τα της διαουιος δηλουσι τους δ αυτε και υπνωτους εχειει - -
 Έντευθεν ηδη τους ονειρος επιτεμπει εδοξε και μαντις αιουα δια του τουου του τροπου, τρεπων ως βουλετας, τας Φαντασιου, Hinc CLAVDIANVS (q)

- - - CYLLENIVS adffitit ales

Somniferam quatiens virgam, testusque galero,

et HOMERV S (r):

Εργουα δε ψυχουα Κυβητουα εζεκαλειτα

Ανδρων μνηστηρων, εχε δε παρθρον μετα χερσιν
 καλην χρυσειν, τη τ' ανδρων ομματα δελγει
 αν εδελει, τους δ αυτε και υπνωτους εχειει

Alii fomnum Deum esse, fomniique hominibus immittere voluerunt,

ovioivs elegantissime depingit penetralia fomni (s):

Est prope Cimmericis longa spelunca recessu
 Mons cauus, ignaui domus et penetralia fomni
 Quo nunquam radii oriens, mediusque cadentis
 Phoebus adire potest - -

Hoc fomni antrum sedem fomniorum facit (t):

At medio torus est, ebena sublimis in atra,
 Plumcus, attricolor, pullo velamine testus,
 Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis,
 Hunc circa passim varias imitantia formas
 Somnia vana iacent, totidem - -

Dein totam fomniorum gentem, (δημων ονειρων inquit HOMERV S) (u) describit, variam fomniorum formam et indolem hac ratione pro ingenii, qua pollebat, foecunditate, explicaturus: (x)

At pater (Somnus) e populo natorum mille suorum
 Excitat artificem simulatoremque figurae
 Morphea, non illo iussos solertius alter
 Exprimat incessus, vultumque sonumque loquendi.
 Adicit et vestes et consuetissima cuique
 Verba: sed hic solos homines imitatur: at alter
 Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens.
 Hunc Icelon superi, mortale Phobetora vulgus
 Nominat, est etiam diuersae tertius artis
 Phantasos. - - -

VI

(o) l. c.

(p) de cognominibus Deorum l. I.

(q) de raptu Proserpinae l. I. v.
 77. 78.

(r) Odyss. ω. 1. 4.

(s) Metamorph. l. XI. 592 sq.

(t) ibid. v. 610. sq.

(u) Odyss. ω. 12.

(x) l. c. v. 633. sq.

Vt discrimen verorum falsorumque somniorum explicarent, mira somniauerunt veteres. Vera a Diis, falsa autem ab Inferis mitti, Poetarum fuit sententia, quam tamen CICERO calculo suo non ornauit. ENNIVM reprehendit, qui aliquot quidem somnia, sed non omnia vera esse dixit. *Quae est tandem, inquit (γ) ista distinctio? Sin vera visa diuina sunt, falsa autem et inania humana, quae est ista designandi licentia?* Vt ut haec sint, recepta haec fuit inter Poetas opinio. HOMERVS somniis apud Inferos domicilium esse voluit. Mercurium procorum animas ad Infernum deducentem, somniorum gentem ibi conspexisse, ingeniose fabulatur (z):

Παρ' Ἰσαν ἄκωνου τε θοος καὶ Λευκάδι πετρῶν
 Ἦδε παρ' ἠελίου πύλας καὶ δῆμον ὄνειρων
 ἦσαν, αἴψα δ' ἰκόντο κατ' ἀσφραδον λευκῶνα
 Ἐνθα τε νομοῖσι ψυχῶν ἰδῶλα κειμένων

Obscuro huic loco lucem affundit EUSTATHIVS, cuius haec sunt verba: (a) Το δε δῆμον ὄνειρων, ὡς ἐπὶ ἐμφύλων καὶ σωματοειδῶν εἶπε, νικτωρ ἦσαν ἐκεῖθεν ὄνειρον ἐπιφοιτῶντων. Ὅμοιον δε καὶ αὐτοῖσι καὶ ὄνειροι ἐν μὴν ἢ ἀνατολῇ. Τοῖς γὰρ νικτὸς καὶ ἀπλῶς ἐν ὄνειρῳ φαντασμοῖσι προφῶς καὶ το νικτῶδες τοῦ τοῦ. - Ἰσον δε καὶ ἐπὶ πιδανενταῖς ὁ μῦθος, ὄνειροις τοποῦ εἶναι περὶ που τὰ κενὰ του Ἄδου, ὅτι οὗ τε τεινευτες, ἐπεὶ καὶ ἀδελφός θανάτος καὶ ὕπνος εἶναι λεγόνται. Vltima haec EUSTATHII verba, quibus causam nobis suggerit, cur veteres loca nocte caliginosa vndique circumfusa, somniorum sedem putarent, CICERONIS verbis illustrari quodammodo possunt. Hic somnia ipsa germanos fratres mortis, ex Erebo et Noctē natos, dicit. (b) HOMERVS alibi (c) duas fingit somniorum portas, corneam vnam, ex qua vera somnia, eburneam alteram, ex qua falsa exire credebantur:

Δοίμαι γὰρ τε πύλαι ἀμνησίων εἶναι ὄνειρων
 Λι μὲν γὰρ κεραεῖσι τετυκχατικῆ, αἰδ' ἰλεφαντικῆ
 Τῶν δὲ μὲν κ' ἔλθῶσι δια τριτοῦ ἰλεφαντος
 Ὅτι δ' ἰλεφαινονταί, ἐπ' ἀπικαντα φερῶντες
 Ὅτι δὲ δια ζῆτων κεραίων ἔλθῶσι θυραῖς
 Ὅτι βῆτυμα κραινοῖσι βροτων, ὅτε τεν τῆς ἰδημῆ.

Scholiasies HOMERI (d) diuersas huius poeticae fictionis explanationes suppeditat. Haec sunt, quae inter alia ad hunc locum adductae sunt: Ὅτι μὲν φασὶ, νεκρῶν πύλην συνεκδοχῆς τους ὀφθαλμοῦς κεραεῖς τοῦ αἵματος γὰρ ὁ πρῶτος χῆτων του ὀφθαλμοῦ. ἰλεφαντινῆν δε σῶμα καὶ ἰσῶ-
 θεν ἰλεφαινοχῆτας τους ὀδοντας. Ἐκ δε τούτου πισυτερεῖ εἶναι τὰ ὄνει-
 μανα

(γ) de Diuinat. I. II. p. 263.

(z) Odyss. ὡ. v. II. 67

(a) in Παρεκδόλαις ad h. l.

(b) de Nat. Deorum I. III. p. 133.

(c) in fine Odyss. 7.

(d) Editioni Operum HOMERI, quae IOACH. CAMERARIJ et IAC. MYCILLI opera, Basil. ex offic. Heruagiana MDXLI. fol. prodit, haec Scholia, quae DIDYMO Scholastico tribuuntur, addita sunt.



μεν των λεγομενων -- περιστην μεν εναγ την αληθη παρα το εντυμο κριναν και τελειου, ελαφαντην δε την ψευδη. Haec Homericæ figmenta imitatus est VIRGILIUS: (e)

Sunt geminae somni portae: quarum altera fertur

Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris

Altera candenti perfecta nitens elephanto:

Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.

Eiusdem sententiae vestigia etiam apud LUCIANVM occurrunt (f), ubi Mycillus tertiam, nempe auream, portam addit. Ita cum loquentem inducit LUCIANVS: 'Οι πειντες εως ονεγοι δια των τοιουτων (πυλων, per eburneam scilicet et corneam) εμφοιτων, διους εκανος (Homerum fugillat) εωρα, ουδε παν σαφως, τυφλος αλτος αν. εμοι δε δια χρονον των πυλων ο ηδισος αφημετο κ. τ. λ. Ad PHILONEM quod attinet, eum quidem ad patronos opinionis de qua iam agitur, referri debere, ex titulo librorum, quos de somniis concinnavit, et περι του δεσπεμπτου εναγ τους ονεγους siue de eo, quod a Deo immittantur somnia, inscripsit, colligi posse, nonnullis videri posset. At vero me quidem iudice difficile est, de huius platonizantis Iudaei vera sententia iudicium ferre. Misceat quadrata rotundis, et infano Allegoriae studio adeo deditus est, ut vel sagacissimus quisque, cum inepta et inania quae hic scriptor effudit, perlustraverit, haud raro quid velit, cum ignarissimis sciat. Neque ex titulis horum librorum satis firmum praesidium pro sententia eorum, qui diuinam somniorum originem ab ipso defendi volunt, peti potest, cum in duobus his libris, qui ex quinque, quos de hoc argumento conscripsit, supersunt, non nisi Iacobi et Iosephi somnia adeoque vere diuina, explicet. Forstian ex primo libro, qui haud adeo magno Philologiae sacrae detrimento, vna cum quarto et quinto interdidit, certiora de illius sententia depromi possent, si adhuc superstes esset.

§. III.

Somniorum productio ab aliis quibusdam spiritibus tribuitur.

At vero intra tam angustos limites contineri non potuit vesana Gentilium superstitione, credulorumque hominum ineptia. Non Diis duntaxat, quos superiores vocant, res humanas curae esse statuerunt, sed inferioribus etiam Spiritibus et Numinibus, partem aliquam huius negotii tribui debere arbitrati sunt. Quid? quod nec horum adiumento rem omnem effici et absolui putarunt, unde eo vsque dementiae processerunt, ut ipsas adeo res inanimatas et ratione carentes

(e) Aen. VI. 893. sqq.

(f) in Dialogo, qui inscribitur Somnium seu Gallus, Tom. II. p. 712.

gantioris doctrinae laude celeberrimus IO. FRID. REITZIVS cum suis aliorumque notis, Amstelodami, MDCCCLIII. 4. excudi curauit.

carentes colerent, multaque per illas hominibus a Diis manifestari, satis praepostere sibi persuaderent. Multa de hoc argumento facili negotio cumulari possent, si huius instituti ratio postularer, pluribus de pretio, Gentilium religioni statuendo, differere. Sed quae huc pertinent, a Viris, in hoc scientiarum genere peritissimis, dudum exposita sunt, quorum fontibus hortulos nostros irrigare nolumus. Ut reliquos, qui inter primos sanctissimae nostrae religionis propugnatores ceteris excelluerunt, silentio praeteream, **ORIGINEM**, egregium illum veritatis testem, produxisse sufficiat. Ingeniose ac solide ridicula Gentilium de Diis, oraculis, auguriis ac portentis somnia, explodit. **CELSI**, acerrimi christianae religionis adversarii, ineptias false perstringit, (g) his verbis vltus: *χρη δ' εἰδέναι, ὅτι το τα μελλοντα προγινωσκων, ου παντως θεων εστι. καθ' αυτο γαρ μεσον εστι πιπτον εις Φαυλους και ασειους - - - ψευδος ουν το παρα τω Κελσω λεγομενον, το τι αν Φαιη τις θειοτερον του τα μελλοντα προγινωσκων και τε και προδηλων; ψευδος δε και το, πολλα των ζων αντιπειθειθαι θεας εννοιας: ουδεν γαρ των αληθων εννοιαν εχει του θεου. ψευδος δε και το, εγγυτερω της θεας ομιλιας εναι τα αλογα ζαα όπου γε και των ανδραπων οι ετι Φαυλοι, καιν επ' αχρον προκοπτωσι, πορρω εστι της θεας ομιλιας: μονε δη αρα οι κατα αληθειαν σοφει και αψευδως ευσεβεις εγγυτερω της θεας ομιλιας εισιν κ. τ. λ.* Haec iam adducta verba, quibus **ORIGENES** diuinationes Gentilium, et inprimis auguria auspiciaque eorum cauillatur, excipiunt notatu dignissima illa, quae in nonnullorum gratiam ex **SIGISM. GELENII** latina interpretatione addimus: Iam illud, inquit, quam impie dictum est ab isto (**CELSE**) nos accusante ut impior, bruta non solum sapientiora esse hominibus, sed Deo quoque chariora, quam homines: quod quis non abominatur, draconem, vulpem, lupum, aquilam, accipitrem magis dilectos esse Deo, quam naturam hominum? - - - quae felicitas in **CELSE** caput verat, ut cum iis ex aequo Deo charus sit, fiatque ipsorum similis, quae sua sententia hominibus praetulit. Nec tamen putet, sibi male precatum. Quis enim non optavit, fieri quam simillimus his, quos putat Deo longe charissimos, ut et ipse ametur a Deo?

§. IV.

(g) Contra **CELSVM** I. 4. p. 234. editionis, quam **DAV. HOESCHELIUS**

Augustae Vindelic. MDCV. excudi curauit.

B

§. IV.

Quae sententia generatim exponitur.

Fatemur quidem, in Gentilium Theologia multa omnino occurrere leuia et summo Ente indigna, quae, si cum sanioribus, quibus nos a teneris inde vnguiculis imbuiamur, principiis, conferantur, umbrae instar euanescent: id tamen haud diffidendum est, de prouidentia summi Numinis praeclare omnino statuisse celebriores quosdam Gentilium Philosophos. Polytheismi quidem macula fere omnes conspurcantur, inferiores autem, quos colebant, Deos, supremi Numinis, Deorum hominumque, vt aiunt, patris, imperio subiectes, omnia a Deo regi, et ab illius nutu pendere, docuerunt. Haec inprimis Stoicorum fuit opinio, quorum dogmata vt in multis aliis, ita etiam, si prouidentiam spectaueris, aliarum sectarum praeceptis saniora fuisse, constat. (b)

§. V.

Ad Daemonologiam veterum adplicatur.

Ex his principiis, tanquam ex largo fonte, quaecumque superstitionis Gentilium monumenta profluxisse, a rerum perito facile conceditur. Si extra limites huius scripti egredi vellemus, emanationis Systema, Daemonologiam veterum, et quicquid ad Paganorum Theogoniam pertinet, excutere et ex generali hoc principio deducere, leuis omnino esset opera. Haec autem cum ex Philosophiae annalibus fati nota sint, hoc labore facile superfedebimus. Chaldaeorum, Perfarum, Aegyptiorum, Celtarum, maximorumque inter antiquiores Philosophorum Systemata prorsus ignoret, necesse est, qui de huius rei veritate dubitauerit. (i) Omnia Diis Daemonibusque repleti, eorumque opera supremum illud Numen, curam huius Vniuersi gerens, vii, ab omnibus fere antiquissimorum Philosophorum sectis, creditum fuisse constat. Hinc inter Zoroastrea dogmata etiam illud a PLETHONE (k) refertur: *Rerum nostrarum curam gerunt Diis, vel ipsimet per se manus admoventes, vel inferiorum ministerium, vniuerse autem secundum Iouis legem omnia dirigentes.* Quicquid autem de Daemonibus in oraculis Zoroastriis narratur, mera scholae alexandrinae commenta esse, non sine veritatis

(b) V. RAD. CVDWORTH Systema intellectuale, pag. 508-511. et b. MOSHEMII Observationem ad p. 508.

(i) V. reu. BRUCKERI Histor. crit. Philos. T. I. p. 133. 180. 294. 332.

(k) apud BRUCKERVM I. c. p. 185.

tatis specie adfruit reu. BRVCKERVS (l). Nolumus hic diuersas veterum de natura et operationibus Daemonum sententias recensere. Id modo monemus, praeter bonos spiritus inferiores aut Daemones, aliud quoque eorum genus, malos scilicet, statuisse Chaldaeos, Persas atque Aegyptios: (m) quod etiam illis PLVTARCHI verbis (n) confirmatur: *Vi in hominibus, ita etiam inter Daemones datur virtutum vitiorumque discrimen.* Hac ratione proximam bonorum malorumque omnium, quae hominibus contingunt, causam detexisse sibi persuadebant. His praemissis, iam eò, vnde digressi sumus, reuertamur. Facile ex his, quae strictim et paucis adtulimus, liquet, superstitiosos Gentiles his Daemonibus, quos supremi Numinis inter-nuncios esse putabant, partem quandam in productione somniorum tribuisse.

Quicquid humanas vires excedere videbatur, id omne auxilio Daemonum produci voluerunt superstitiosi idolorum cultores. Hinc factum est, vt, qui aliis ingenio aut rerum peritia ancelebant, facile credulis imponerent. Hinc tot funesta veteratorum exempla in Historia Philosophiae! Propius enim Daemonibus consortium sibi esse iactabant, eorumque auxilio se futura praehidere, et abdatas rerum causas perspicere, vt incautos fallerent, magnifice gloriabantur. Ex horum impostorum numero EPIMENIDES fuit, qui, teste LAERTIO (o), per varias fraudes aliis persuadere voluit, sibi familiaritatem cum Diis intercedere. Hoc artificio alii quoque vaferrimi homines sibi auctoritatem conciliabant. Magi inquit LAERTIVS (p) diuinationem praedictionemque exercuerunt, sibi Deos adparere adserentes. Aegyptiorum aharumque gentium sacerdotes, eodem figmento vsi, credulae plebi suum fecerunt. Nihil dico de impostura, cuius Graecorum sacrifici iure acculantur. Antiquitatum graecarum Scriptores, et qui de Oraculis ac diuinationibus ex instituto egerunt, sat multa exempla, illis qui, plura defiderant, subministrant. (q)

B 2

§ VI.

(l) l. c. p. 188.

(m) l. c. p. 134.

(n) De animae gen. ex mente TIMAEI.

(o) l. l. S. 112.

(p) l. c. S. 6. et reu. BRVCKERI Hist. crit. Philos. T. I. p. 165.

(q) Cui volupe sit, is videat PLV-

TARCHVM in Lib. de Oraculorum defectu, et IAMBLLICHVM de Mysteriis aegypti. Ex recentioribus multa dabit LACKEMACHERVS. Antiqui graec P. III. c. 4. RHODIGINVS Lect. antiq. l. 2 c. 12. et van DALE de Oraculis Ethnicorum: vt eos non commemorem, qui posterioris sententiam acriter impugnant.

Pythagorae
sententia.

His fundamentis Systema suum superstruxit PYTHAGORAS, magni nominis inter Graecos Philosophus, et scholae, quam *italicam* dicunt, conditor. Phoeniciam, Aegyptum, Chaldaeam Italiamque peragravit, et per nobilissimas Graeciae ciuitates, oraculorum aut litterarum fama celebres, iter instituit, non ut vanam inde captaret gloriam, aut ut oculos pasceret, sed ut ritus, mores, leges, praecepta et dogmata tum Barbarorum tum suorum ciuium rimaretur, et penitius perspiceret. Ingenio, quo multis sui aevi hominibus antecellebat, et insigni dexteritate, alios humanitate sibi deuinciendi, mirifice adiutus, abdita quaeque barbararum gentium indagauit, earumque mysteria edoctus, quaecumque ipsi arridebant, sua fecit, magna profundae eruditionis laude ob id condecoratus. Pluribus haec a TAMBLICHO, PORPHYRIO, LAERTIO aliisque vel vitae illius, vel doctrinarum, quas proposuit, Historiae Scriptoribus, traduntur, ex quibus, ut reliquos recentiores taceam, THOMAS STANLEIUS (r) et Reu. BRUCKERVS (s) sua desumerunt. De Systemate, quod ex tanta doctrinarum, quas imbiberat, copia, composuit, suum cuique integrum esto iudicium. Nos pro huius instituti ratione, iis, quae de Daemonum natura et actionibus ex mente Chaldaeorum, Aegyptiorum, aliorumque Orientis Philosophorum, docuit, vnice inhaeremus. Post summum Deum, aut potius, ut cum illo loquamur, (t) animum, per vniuersas mundi partes commeantem ac diffusum, tres intelligibilibus sunt species, *Dii* scilicet, *Daemones* ac *Heroues*. Hos omnes, licet diuerso ob dignitatis discrimen gradu, colendos esse, in carminibus, quae *aurorum* nomine digna putarunt veteres, docuit, saltem si recentiores Pythagoreos sequimur, docuisse fertur. (u) Et Daemones quidem totum aërem implere, per eos autem hominibus somnia, signa, morbos caetera a Deo immitti, PYTHAGORAM statuisse, nouimus. (x)

Hinc

(r) Histor. philosoph. P. VIII.

(s) Histor. crit. Philos. Tom. I. P. II. l. 2. c. 10.

(t) V. LACTANTIUS I. l. c. 7. et CICERO de Natura Deorum l. I.

(u) PROCLUS Pythagoram, 10. ALB. FABRICIUS Empedoclem,

STANLEIUS autem Epicharmum horum carminum auctorem dicit. Alii in alias abeunt sententias.

(x) Veterum testimoniiis haec satis confirmant. Viri in Historia Philosophiae exercitissimi STANLEIUS l. c. p. 764. et Reu. BRUCKERVS l. c. p. 1074. 1081. et 1083.

Hinc etiam divinationem per somnia facile admisit PYTHAGORAS, qui non somnos solum, sed quod mireris, etiam fatidica somnia, IAMBlicHO teste, produxisse fertur.

§. VII.

Ad PLVTARCHVM iam venio. Qui illustrem hunc Scriptorem omnem eiurasse superstitionem existimant, eumque inter summos aeni sui Philosophos referunt, mirabuntur, Virum, in tam sublimi loco constitutum, in hanc scenam a nobis produci. At vero facile me a suspitione iniuriæ, tanti nominis viro illatae, liberabo. Si, quod res est, dicere volumus, negari nequit, hunc, alioquin meritissimum Scriptorem, si vel maxime eo polluerit iudicio, quod multi de illo prædicant, (*y*) haud raro hallucinari, et sæpius ad vulgi captum se accommodare. Ne iusto longior sim, in id modo inquiram, quid de Somniorum origine statuerit. Difficile nonnumquam est, veram PLVTARCHI mentem adsequi. Non semper sibi constat, nec, si ipsum vt Philosophum spectes, iisdem semper innititur principiis. Platoniorum dogmata, quibus plerumque sua attemperat, non adeo sancta habuit, vt ne illa, si ab ipsis parum præfidii expectandum esse videret, facile deseruisset. Sæpius in aliorum castra transit, dubius, quæ sequi vellet vexilla: quod inconstantiam eius abunde testatur. At vero cum in doctrina de anima, Aegyptios ac Pythagoræos secutus sit, me quidem iudice non errant, qui doctrinam de immiissione Somniorum per Daemones, ad dogmata illius referunt. De hoc eo minus dubitandum erit, quo certius constat, PLVTARCHVM Daemones malos statuisse, qui homines virtutis studio deditos odio prosequerentur, iisque ex invidia sæpius inanes iniicerent terrores. Hoc ex introitu, quem vitæ DIONIS præmisit, facile apparet. DIONEM et BRVTVM, quorum vitas comparat, eadem fata habuisse euicturus, τῆσαν θανάτου εἶναι esse dicit, Deum vtrique propinquum vitæ finem, noctu significasse. Cum vix vlla inter has vitas parallelas exstet, quæ non manifesto indicio sit, PLVTARCHVM huius generis commentis magnopere fuisse delectatum; hæc, quæ de DIONE et BRVTO refert, adduxisse sufficiat, ne otio abuti videamur. Ipsius PLVTARCHI verbis loqui mihi liceat.

Plutarchi
Sententia.

B 3

De

(*y*) Quo tamen PLVTARCHVM som Reu. BRVCKERVS l. c. p. 179. non vltra mediocritatem fuisse gaudis testis est.

DE DIONE haec habet (z). Συναμεινός δὲ τῆς ἐπιβουλῆς Φάσμα
 γινεται τῷ Διονί μὲγα καὶ τερατάδες. Εὐτυχῶς μὲν γὰρ ὄψε-
 ἡμέρας καθέζομενος ἐν πατάδι τῆς οἰκίας, μοῖσιν ὦν πρὸς ἑαυτὸν τὴν
 διανοίαν ἐξαιφῆς δὲ ψιφου γενομένου, πρὸς πατέρω περὶ τῆς
 σοφῆς ἀποβλέψας ἐπιφάτος ὄντας εἶδε γυναῖκα μεγάλην, σολῆ μὲν
 καὶ προσώπῳ μὴδὲν Ἐρινύος τραγικῆς παραλλαττουσαν, σκυρῶσαν
 δὲ καλυπτῶ τινι τῆν οἰκίαν. ἐκπλαγῆς δὲ δένας καὶ περιφοβὸς γενο-
 μένος, μετεπεμψάτο τοὺς φίλους, καὶ διηγείτο τὴν ὄψιν αὐταῖς
 καὶ παραμένειν εἶδειτο καὶ συνικτερεῦσαι, πανταπασι ἐκστατικῶς
 ἔχων κ. τ. λ. Haec de DIONE. Quae de malo Daemone, qui
 BRVTO ante cruentum in Philippis commissum praelium bis appa-
 ruisse dicitur, multis exposuit, maiori attentione digna sunt. Haec
 sunt ipsius PLVTARCHI verba (a); Νυξ μὲν ἢ βαθυτατῆ, φῶς
 δ' αἶψιν οὐ πανὸν λαμπρὸν ἢ σκιῆ - - - Ο δὲ βροῦτος συλλογιζο-
 μένος τι καὶ σκοπῶν πρὸς ἑαυτὸν, εἶδ' ἔξεν ἀσάφισταί τις αἰγιότος·
 ἀποβλέψας δὲ πρὸς τὴν εἰσοδὸν, ὅρα δέηναι καὶ ἀλλοκοτὸν ὄψιν ἐκ-
 φυλοῦ σώματος καὶ φοβεροῦ, σιωπῆ παρεστῶτος αὐτῷ. Τολμήσας
 δὲ ἐρεῖσθαι, τίς ποτ' ὦν, εἶπεν, ἀνθρώπων, ἢ θεῶν, ἢ τι βουλομε-
 νος ἡμεῖς ὡς ἡμᾶς; ὑπεφθεγγεῖσθαι δὲ αὐτῷ τὸ Φάσμα, Ὁ σοὶ ὦ
 βροῦτε δαιμόν κακός· ὄψαι δὲ με περὶ φιλιππου· καὶ ὁ βροῦτος οὐ
 διαταραχθεῖς, Ὁφραμοῖ, εἶπεν (b). In sublequentibus verbis ex-
 ponit PLVTARCHVS, qua ratione CASSIVS, quem Epicureis ad-
 dictum fuisse scimus, BRVTO ob hanc apparitionem Daemonis
 metu percusso, vanitatem huius phantasmatis ostendere conatus
 sit. Haec propriis PLVTARCHI verbis potius quam nostris enarra-
 re fatius visum est, ut omnem interpolatae dictionis suspicionem ef-
 fugeremus. Iam videamus quoque, quid de his portentis statuerit
 PLVTARCHVS. Notatu digna sunt, quae in hanc rem protulit,
 similitudinem fatorum DIONIS et BRVTI probaturus (c). Ὁ δὲ
 παντῶν θαυμασιωτάτων, ἐπι καὶ το δαιμονίων ἀμφοτέρωσιν ὑπεδηλω-
 σε τὴν τελευτῆν, - - Καὶ τοι λόγος τις ἐστὶ τῶν ἀναιρουμένων ταυτα
 τα,

(z) Vol. V. p. 211. nitidissimae
 editionis, quae Londini ex offic. Iac. Ton-
 son et Ioa. Watts in forma quarta
 prodit.

(a) in vita BRVTI, Vol. V. p. 252.

edit. laudata.

(b) De altera huius Daemonis ap-
 paritione loquitur PLVTARCHVS
 exeunte descriptione vitae BRVTI,
 pag. m. 265.

(c) in limine Historiae DIONIS,
 p. m. 160.

τα, μηδεν αν νουν εχειτι προσπεσειν Φαντασμα δαιμονος, μηδε
 ειδωλον, αλλα παιδαρια και γυναικα και παραφορους δι' αδοξουσιαν
 ανθρωπων, εν τωι πλανη ψυχης η δυσκρασια σωματος γενομενους,
 δοξας εφελκεσθαι κενας και αλλοκοτους δαιμονα ποιησεν εν αυτοις
 ειναι δεσποδαιμονιαν εχοντας. Ει δε Διον και Βρυτος ανδρες εμβρι-
 θεις και Φιλοσοφοι, και προς ουδεν ακροφαλεις ουδ' ευαλωτοι πα-
 θος ουτως υπο φασματος διετεθησαν, ωστε και φρασαι προς ετερους,
 ουκ ειδα μη των πανυ παλαιων τον αποπατατον αναγκασθαιμεν προς-
 δεχθεσθαι λεγον, ως τα Φαυλα δαιμονια και βασκανα προσφθονου-
 τα τους αγαθους ανδρασιν, και τους πραξουσιν ανισταμενα, ταραχας και
 φοβους επαγει, σεντα και σφαλλοντα την αρετην ως μη διαμεναντες
 απτωτες εν τω καλω και ακραμοι, βελτιονος εκειαν μοιρας μετα
 την τελευτην τυχασιν. Nisi ipsa haec PLVTARCHI verba testes
 exceptione maiores essent, quis quaeso crederet, Philosophum cuius
 cognitio rerum naturalium a multis, ne dicam a plurimis, adeo lau-
 dibus celebratur, hic loqui? Ipse quidem talia puerorum muliercul-
 larumque nugas, quid? quod infanorum deliria multis videri, mo-
 net, nihilo minus tamen haesitat, non obscure innuens, ad senten-
 tiam antiquiorum Philosophorum, qui malos Daemones hominibus
 terrorem incutere docuerunt, esse recurrendam. Tantum valuit apud
 PLVTARCHVM auctoritas DIONIS et BRVTI, qui εμβριθεις,
 Φιλοσοφοι και προς ουδεν ακροφαλεις ουδ' ευαλωτοι παθος ab ipso
 vocantur, vt egregij illius canonis NE QVID NIMIS (d) immemor,
 ad vulgi captum se accommodauerit. Ex ingenti somniorum copia
 quae PLVTARCHVS in his Vitis parallelis literis consignare digna
 putauit, ad ea duntaxat, quae de CIMONE (e) et de CALPURNIA (f)
 narrat. Lectores qui boni Viri superstitionem in ipsis fontibus seru-
 tari et indagare cupiant, ablegamus.

De BRVTO magnifice sentit PLVTARCHVS, quod multis, si
 opus esset, locis, facile probari possit. At vero qui vel leniter anti-
 quae Historiae guarus est, cum non fugit, BRVTI et CASSI agni-
 na eo tempore in maximo vitae discrimine fuisse (g), vnde quilibet
 perspiciet, BRVTO, dies noctesque timore et metu agitato, facillime ha-
 ius generis somnia, obuersari potuisse. DIONEM CASSIVM illu-
 strem romanae Historiae Scriptorem, qui somniorum portentorumque
 enar-

(d) v. quae in vita CAMILLI de
 miraculis d' s' s' s' PLVTARCHVS,
 (e) in vita CIMONIS.
 (f) in vita CAESARIS.

(g) Pluribus haec docent Scri-
 ptores Historiae vniuersalis, Tom.
 XI. p. 629 sq. versionis germani-
 cae.

enarrationi insignem Annalium suorum partem consecrauit, hanc mali Daemonis apparitionem plane silentio praeteriisse, miramur.

§. VIII.

Recentioris
cuiusdam
Scriptoris
Angli sententia.

Inter recentiores huius sententiae propugnatores eminent Scrip-
tor quidam Anglus qui eam nouo ornatilimoque vestitu condeco-
rare, omnibus viribus studuit. Nihil, vt ita loquar, intentatum reli-
quit, vt demonstraret, somnia a Spiritibus, qui extra nos sunt, rerum,
que nostrarum curam, moderante summo Numine, gerunt, immitti.
Hanc iam a multis explosam sententiam proposuit in libro, quem
anglico idiomate conscripsit, sed sine parentis nomine in publicum
prodire iussit. (b) Quisquis sit auctor huius libri, quilibet aequus
rerum arbiter fatebitur, illum acute et ingeniose argumentari, vt
omnino mireris, talia probari Viro eleganter docto. Nos plura de
hoc Scriptore cumulare, aut dicam ipsi scribere nolumus. Suffi-
ciat, mentionem illius hoc loco iniecit: de argumentis, quibus uti-
tur, alibi dicetur.

§. VIII.

Causa so-
mniorum in
corporibus
extra nos po-
sitis quaeri-
tur.

Pergimus ad eos, qui causam somniorum in corporibus extra
nos positis quaerendam esse putarunt. Apertum, sed sterilem ingre-
dimur campum. Obrueret nos multitudo dicendorum, si ieiuna,
inania et insipida quaeque colligere vellemus, quae Viri, ingenio suo
indulgentes, aut, vt rectius dicam, abutentes, de Somniis vere somnia-
runt. Sunt qui ad astrorum cursum, et nescio quem influxum in ho-
minum actiones, aut ad abditas et occultas causas mysteriis, vt aiunt,
omnino plenas, refugiunt. Qui CARDANI, GAFFARELLI aliorumque hu-
ius furfuris, Scripta, quae quidem non obscura sunt, sed a peritis harum
rerum

(b) Inscríbitor hic liber an Enqui-
ry into the Nature of the human soul;
wherein the Immateriality of the Soul
is evinced from the Principles of Rea-
son and Philosophy. Vol. I. II. Lon-
don MDCCXLV. 8. In prima
secundi Voluminis Sectione, ex iner-
tia Materiae et natura Mechanismi,
iuxta principia in antecedentibus ex-
posita probare vult Auctor anonymus,
somnia neque Mechanismi, neque
alius cuiusdam causae mechanicae
operantis, effectus esse posse, adeoque
Somnia causae cuidam viuenti et in-
telligenti esse tribuenda. Sunt, qui
ANDR. BAKTERVM huius libri au-
ctorem esse dicunt, Vide b. et de me
optime meriti Praeceptoris s. l. BAVM-
GARTEN Nachr. von merckw. Büch.
Vol. 5. p. 310 sq.

rerum aestimatoribus iure ut nugiuendulorum ineptiae exhibantur, fugiente oculo perlustrant, facile nobis ignoscat, si vanis horum Virorum commentis, nullum locum damus. Ex veteribus autem, qui in hunc censum veniunt, Scriptoribus, LVCRETII, DEMOCRITII ET EPICURI dogmata exponemus.

§. X.

T. LVCRETIVS CARVS iure suo locum hic occupat. Du-
 bito, an quisquam aut antiquiorum aut recentiorum nominari queat, Lucetii hal-
 qui maiori adhibito studio, sed euentu coeptis minus respondente, lucinationes
 somniorum originem explicare molitus sit. Varias induit formas, de Somnio-
 omnemque mouit lapidem, ut sine suo potiretur. Omnia autem, rum origine.
 quae de somniis protulit, et eleganter metro adstricta reliquit, meros
 esse ingenii lusum, et ad inanes hallucinationes recidere, quis quaeso
 est, qui non videat? Nec solidam huius problematis solutionem, ab
 epicureo Philosopho, sanae mentis homo vsquam expectabit. Sed
 propius videamus, quam misere hallucinetur et se torqueat Philoso-
 phus, qui, Ens supremum, providentiam, et immaterialitatem animae
 aspernatus, cuncta, quae sunt et fiunt, ex iciuna *atomistica*, quam
 dicunt, Philosophiae doctrina, explicare aggressus est. Ex superficie-
 bus corporum solidorum, tenues, si LVCRETIO fides habenda est,
 ac nudo oculo non obseruandae *membranae* aut *pelluculae* effluunt,
 quae in aëre circumuolantes inter se commiscuntur, variasque inde
 producant formas. Ex his membranulis, quae etiam *corices*, *simu-*
lacra et *effigies* apud LVCRETIVM vocantur, originem et modum
 compositionis omnium imaginum, quae nostro animo se offerunt,
 explicat. Quae ne temere dixisse videar, ipse causam suam agat.
 En ipsa eius verba! (i)

Nunc agere incipiam tibi, quod vehementer ad has res
 Attinet, esse ea quae rerum simulacra vocamus.
 Quae quasi membranae summo de corpore rerum
 Dereptae volitant vltroque citroque per auras.
 Atque eadem nobis vigilantibus obuia mentes
 Terrificant, atque in somnis, cum saepe figuras
 Contiuimur miras, simulacraque luce carentum.

Inter-

(i) de rerum natura lib. 4. v. 33 sq.

Interiectis aliquot versibus, apertius mentem suam exprimit: (k)

Dico igitur, rerum effigias tenuesque figuras

Mittier ab rebus summo de cortice earum

Quae quasi membrana vel cortex nominanda est,

Quod speciem ac formam similem gerit eius imago

Cuiuscunque cluet de corpore sua vagari. (l)

Cui haec lepida philosophandi ratio probatur, is, si scire cupiat, quomodo per has membranulas, a corporum superficiebus auullas, visus, auditus, sapor, odor animique motus explicandi sint, ipsum adeat *LVCRETIVM*, ingeniose de his omnibus differentem. (m) His praemissis, somniorum originem ex his corticibus et pelliculis explicare conatus est. Hoc euicturus ad experientiam prouocat, qua edocemur, somnia plerumque ab iis rebus, quae vigilantes maiori cum studio egimus, originem ducere. Quae cum multis exemplis firmasset, ita pergit: (n)

- - - - plerumque videmus

Cum iam destiterunt ea sensibus vsurpare,

At reliquias tamen esse vias in mente patentis.

Qua possint eadem rerum simulacra venire.

Iam nullae supersunt difficultates. Omnia huic ingenioso Poetae ex voto fluunt. Quisquis simulacra aut membranulas, quibus totum aërem impleri voluit, concesserit, is quamcunque imaginem, quae nobis in somnio obuerfatur, facili opera ex illis compositam fingere poterit. Nec adeo difficile visum fuit *LVCRETIO*, motus corporis nostri in somnio explicare. Ita haec exprimit: (o)

Nunc qui fiat, uti passus proferre queamus

Cum volumus, varieque datum sit, membra mouere

Et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri

Corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.

Dico, animo nostro primum *simulacra meandi*,

Accidere, atque animum pulsare, ut diximus ante,

Inde voluntas fit. - -

Sed mitto reliqua, ne risus Lectoribus moueatur.

§. XL

(k) *ibid.* v. 46 sq.

(l) His addi possunt, quae v. 102-107. exstant.

(m) *V. STANLEII Hist. philos. P.*

XII. c. XI. p. 1016. sq.

(n) *l. c. v. 971. 199.*

(o) *l. c. v. 880-886.*

§. XI.

Huc etiam tendunt *εἰδωλα* DEMOCRITI, qui eadem, de qua Democriti antea (§. X) diximus, methodo, in explicanda somniorum origine vltus opinio. est! Probe autem vt b. MOSHEMIVS (p) monet, notandum est, haec *democritea εἰδωλα* non plane eadem esse cum *epicureis* simulacris, sed duplex esse genus *idolorum* in Philosophia DEMOCRITI. *Εἰδωλα* enim DEMOCRITO non modo sunt imagines, quae ex superficie corporum profluentes, sensus nostros ingrediuntur, ideasque producunt, sed etiam imagines diuinae in aëre versantes, hominibusque, quibus forma longe antecellunt, subinde adparere. Haec pro more suo acutissime disputat b. MOSHEMIVS, et errorem, quo magis viri CICERO, AVGVSTINVS, IRENAEVS, IO. ALB. FABRICIVS et PETR. BAYLIVS se abripi passi sunt, feliciter detegit. Haec de DEMOCRITO sufficiant.

Quae iam exposui, CICERO abunde testatur. Fallitur quidem, (q) DEMOCRITI *εἰδωλα* quaeque Deos arbitratus, et ob id a b. MOSHEMIO notatur; alibi autem circumspiciendus de eo indicat, vt illum in hac re testem excitare nulli dubitemus. Philosophi huius doctrinam, de *εἰδωλων* ex corporum superficie emanatione, ipse non obscure innuit. Cum QVINTO fratre disputans, *Quem tu, MARIVM*, inquit, (r) *visum a me putas? Speciem credo eius et imaginem, vt DEMOCRITO videtur. Vnde profectam imaginem? a corporibus enim solidis et a certis figuris vult fluere imagines.* Eiusdem de Somniis sententiam alibi (s) ita exprimit: *Vtrum igitur censemus, dormientium animos per semetipsos in somniando moueri, an, vt DEMOCRITVS censet, externa et aduentitia visione pulsari?* Improbauit autem hanc democriteam de Somniis opinionem ARISTOTELES. Cum suam ipsiusmet sententiam proposuisset, haec, addit: (t) *Τοιον δ' ἂν εἴη μυθῶνος, ἢ ὡς περ λέγει Δημοκρίτης, εἰδωλα καὶ εἰσπρόρους αἰτιώμενος.*

§. XII.

EPICVRVS superest, cuius de somniis sententia breuissime exponi poterit. Ita comparata erat huius Viri Philosophia, vt vel tentia. absurdistima quaeque doctrina facilius cum illa conciliari potuerit, quam dogma, ex quo Deorum existentia eorumque cum mortalibus commercium, cum aliqua veri specie deduci posset. Hinc non

C 2

est,

(p) ad Cadworthum pag. 849. III.

(q) de Natura Deorum lib. I.

(r) de Diuinat. l. 2. p. 267. edit.

Paris. ROB. STEPHANI.

(s) l. c. p. 260.

(t) de Diuinatione per Somnum,

F. II. c. 2. p. 109. c.

est, quod miremur, eum DEMOCRITI somnia de atomis aliaque id genus sua fecisse, licet, ut nonnulli veterum referunt se *ἀντιδιδασκω* esse iactitauerit. Id saltem ex PLUTARCHO et LUCIANO (u) discimus, Epicurum omnia dogmata sua a DEMOCRITO fuisse suscipiendum, quod etiam CICERO testatur. *Quid enim, inquit, (x) est in Physicis EPICURI non a DEMOCRITO?* Et alio loco (y) affirmat, DEMOCRITI fontibus EPICURVM hortulos suos irrigasse. Hinc ex iis, quae iam dicta sunt (§. XI.), facile apparet, quid DEMOCRITVS de somniis statuerit. Praeuenientem hic habemus LVCRETIVM, (§. X.) qui totum complexum epicureae de anima doctrinae earmine, quod ad nostra tempora peruenit, eleganter, si ab Archaisimis discesseris, descripsit, hac opera in se suscepta egregie de secta *epicurea* meritis. (z)

§. XIII.

Causam somniorum alii in homine ipso quaerendam esse volunt.

Expositis potioribus eorum Philosophorum sententiis, qui originem somniorum extra hominem quaerendam esse voluerunt, ad alteram classem (§. I.) properamus. Haec eos complectitur, qui statuerunt, causam somniorum in ipso homine delitescere. Veritati quidem propius accesserunt hi Philosophi, reiectis veterum de hoc argumento sententiis, quae, ut ex praegressis facile apparet, minus sufficiunt, nec ita comparatae sunt, ut rigorosum, quod aiunt, examen sustineant. At vero in varias abiisse sententias, qui originem somniorum ex ipsa hominis natura deducere voluerunt, ex Scriptis illorum abunde liquet.

XIII.

In solo Mechanismo corporis.

Inter huius sententiae patronos fuerunt, qui originem somniorum ex solo Mechanismo corporis explicare aggressi sunt, quod alii improbarunt, ex sola anima somniorum productionem derivantes. In utroque autem extremo facile peccatur. Tutissimam elegerunt viam, qui media inceserunt, somniorum originem ex corpore et anima

(u) v. STANLEII Hist. philos. P. XII. c. 4. p. 226.

(x) de Natura Deorum I. I. p. 30.

(y) ibid. p. 48.

(z) STANLEIUS P. XII, Histor.

philos. longus est in delineanda Epicuri Philosophia. Quae cap. XXI. de Somno et Insomniis ex LVCRETII l. 4. de Remura Natura disserit, succincti in hoc obscurum poemata commentarii loco esse possunt.

anima simul petentes. De vnaquaque harum opinionum suo dicitur loco, si antea monuerimus, nos cum bona Lectoris venia hanc alteram huius historicae sectionis partem arctissimis limitibus esse circumscripturos. Quod eo facilius et sine detrimento causae, quam agimus, fieri poterit, cum nobis in hac altera parte, potissimum cum recentioribus philosophis res sit, quorum opiniones et dogmata omnibus harum rerum peritis innotuisse nulli dubitamus. Hinc ea opera, quam in excutiendis veterum de hac re sententiis adhibere nos oportuit, facile iam superfedere poterimus.

§. XV.

Inter eos, qui somniorum originem et indolem ex Mechanismo Aristotelis corporum derivarunt, eminet ARISTOTELES. Multa, ut sententiam hanc probaret, cumulat (a). Ante omnia monet, quodcumque sensibile (αἰσθητὸν) per organa sensoria sensationem in nobis producere, et πάθος quoddam, ut loquitur, excitare. Hoc πάθος, inquit, non modo eo temporis articulo, quo sensus actu agunt, organo nostris inest, sed etiam tunc, cum haec sensuum operatio cessat: ita ut hoc πάθος non modo, dum ipsa organa sensoria sensationem producant, adsit, sed etiam his feriantibus remaneat. Haec illustrat exemplo eorum, qui per aliquod tempus intentis oculis solem adspexerunt, subito autem oculos aliorsum vertunt. His, inquit, accidit, ut nihil videant, ob concomitans scilicet πάθος, quod a lumine solis in ipsorum oculo excitatum erat, et quia commotio a radiis solis producta, oculis ipsorum inhaeret. Haec ad somniorum naturam et originem explicandam adplicat (b). Ita pergit: Ἐκ δὴ τούτων φανερόν, ὅτι οὐ μόνον ἐγγεγρασμένων αἰ κινήσεις αἰ ἀπὸ τῶν αἰσθημάτων γινόμεναι, τῶν τε θυραθεν, καὶ τῶν ἐκ τοῦ σώματος ἐνπαρρούσων, ἀλλὰ καὶ ὅταν γενήται τὸ πάθος τοῦτο ὁ καλεῖται ὕπνος κ. τ. λ. Hos motus (κινήσεις), ab externis sensibus in statu vigiliae excitatos, etiam in somno remanere, et insomnia producere, probare annititur (c): Haec de ARISTOTELIS sententia adducenda erant, ut pateat, quid obscura Somnii Definitione innuere voluerit, si dicit: τὸ φαντάσμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως τῶν αἰσθη-

Aristotelis
sententia.

C 3

(a) de Insomniis c. 2. p. 101. edit. parif.

(b) l. c. c. 4. p. 103 sq.

(c) v. DV-VAL in Synopsi analy-

tica Doctrinae peripateticae, Tomo

II. Operum ARISTOTELIS, edit.

parifensis, praefixa, p. 23.

εὐδαιμονίας, ὅταν ἐν τῷ καθευθεῖν ἢ, ἢ καθευδαί, ταῦτ' ἴσῃ ἐνυπνίων (d).

§. XVI.

Th. Hobbesii
opinio.

Cum his fere ad verbum coincidunt, quae de Somniis protulit THOMAS HOBBSIUS, *malmesburienſis*, non propriae virtutis laude, sed bello, quod rei et civitati sacrae intulit, perennem nominis famam consecutus. Premit in hac doctrina velligia ARISTOTELIS, cuius Philosophiam, ut credo, cum in celeberrima parisiensi Academia degeret, imbibit. Duo loca ex operibus ipsius, in hanc rem producenda erunt (e). Primus exstat in Libro, quem *humana Natura* inscripsit, ubi multa de animae facultatibus disserit, quae autem hic non excutimus, iis vnice inhaerentes, quae (f) de Imaginatione, Somno et Infomniis protulit, ARISTOTELES menti aptissime congrua. Quod ARISTOTELES *παρῶς* (§. XV.) dixit, id HOBBSIO vocatur *imago* vel *idea*, quam *Obiectum* sensus nostros afficiens in cerebro producit. Et haec quidem imago non cessat, aut evanescit, simulac obiectum per organa sensoria agere desliterit, sed imaginem quandam relinquit, quae, dum vigilamus, obscurior est, cum alia obiecta sensus nostros feriant, quae fortorem motum in anima nostra excitando, debiliorem obscurant. Hanc obscuriorem ideam, animo nostro inhaerentem, idem esse vult, quod *Phantasiam* aut *imaginationem* dicimus. Haec illustraturus obseruat, motum, qui in aqua stagnante (g), lapide iniecto aut per ventum producit, vento remittente, aut lapide subsidente, non statim cessare,

(d) REN. BRUCKERI Hist. crit. philosoph. T. I. p. 823.

(e) Ad manus mihi est nitida Operum HOBBSII in vnum volumen collectorum, editio, quae Londini M DCCCL. in Fol. prodit. Inscribitur *The Moral and Political Works of THOMAS HOBBS of Malmesbury. Never before collected together. To which is prefixed the Author's Life.* cact. Publice profiteor, maximas me debere gratias Viro S. Ven. D. TO. SAL. SEMLER, Praeceptorj et Fautori optime de me merito, qui

pro insigni, quo eminet, eruditionis promouendae studio, non modo hanc operum HOBBSII collectionem, sed alia quoque egregia subsidia, ex praestantissimo et ab optimis in vnoquoque scientiarum genere instructissimo librorum adparatu b. et immortalis famae BAYMGARTENII, mihi petenti liberaliter ad hunc usum concessit.

(f) cap. 3.

(g) V. ARISTOTELES de Infomniis c. 4.

re, sed per aliquod tempus continuari (b). His praemissis pergit, somni ac Somniorum originem et veram indolem explicare. Si sensationes cessant, quod in somno fit, haec imagines animo nostro adhuc obuersantes, ex obscuritate, quae illas in statu vigiliae inuoluebat, emergunt, fortioresque fiunt. Somniorum causam, ut omnia, quae pluribus disputat, ad pauca reducamus, ponit in *Actione* aut fortiori operandi modo, quo internae hominis partes cerebrum afficiunt, iisque, omni sensuum communicatione per Somnum intercepta, pristinum motum restituunt. Prouocat ad diuersitatem somniorum, ex diuersa imaginum serie et successione oriundam. Cum his fere eadem sunt, quae HOBBSIUS alibi (z) de Somniis protulit.

§. XVII.

Alii ex opposita parte in excessu peccarunt, totam somniorum productionem soli animae tribuentes. Multi tum veterum tum recentiorum, quicquid alii de somniis iactant, nil nisi vanas effraenis phantasiae illusiones esse, voluerunt. Horum tantus est numerus, ut nimia temporis et otii iactura foret, omnium sententias exponere, quo labore ut abstinere, breuitatis lex imperat. Ne vero sine teste abeam, CICERO prodeat. Quid magnus ille inter Academicos Philosophus de diuina somniorum origine statuerit, ex iis, quae supra (§. 2.) in hanc rem dicta sunt, notum est. Iam videamus, cur

(b) Cum omnia ad id recidunt, an haec prima principia iuxta veram HOBBSII mentem expressa fuerint, propria HOBBSII verba hic subiiciam, ut candido Lectori liberum sit iudicium. Reliqua autem, ne typothetae moras iniciam, in latinum sermonem transferre satius visum est. En ipsa HOBBSII verba: *As standing Water put into Motion by the Stroke of a Stone or Blast of Wind, doth not presently give over moving, as soon as the Wind ceaseth, or the Stone setteth: so neither doth the Effect cease, which the Object hath wrought upon the Brain, so soon as ever by turning aside of the Organs*

the Object ceaseth to work; that is to say, though the Sense be past the Image or Conception remaineth; but more obscure while we are awake, because some Object or other continually plies and solliciteth our Eies and Ears, keeping the Mind in a stronger Motion, whereby the weaker doth not easily appear. And this obscure Conception is that we call Phantasy or Imagination. Imagination being (to define it) Conception remaining and by little and little decaying from and after the Act of Sense.

(i) in libro, cui nomen *Leuiathan* dedit, P. I. c. 2. de Imaginatione, p. 100 sq.

cur hanc sententiam a plurimis eo tempore adoptatam suo calculo ornare non dubitauerit. DEMOCRITVM (§. 12) irridens, *Nec cognoui, inquit (k), quemquam, qui maiori autoritate nihil diceret.* Animorum est ea vis atque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventu pulsu sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum suscipiuntur membris et corpore, et sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Cum autem haec subtracta sunt, desertusque animus languore corporis, tum agitur ipse per sese. Itaque in eo et formae versantur, et actiones, et multa audiri, multa dici videntur. caet. Et paucis interiectis, somnii, quod de MARIO habuit, rationem, fratri QUINTO exponit. *Ve mihi, inquit, temporibus illis multum in animo MARIUS versabatur, recordanti, quam ille grauem suum casum magno animo, quam constanti, tulisset.* Hanc credo causam de illo somniandi fuisse. Ita iudicat CICERO, nam animos nostros iis maxime rebus, quas vigilantes aut cogitauimus aut egimus, agitari statuit. Plura non cumulabo.

§. XVIII.

Originem
somnia
alii ab anima
et a corpore
simul dedu-
cunt.

Vtramque sententiam haecenus (§. XIV. XVII) expositam non ex omni parte reprobendam esse, nemo harum rerum peritus negauerit. Hinc optima ex his tris se expediendi ratio est, si media incedendo via tum animae, tum etiam corpori, ex amico vinculo inter se iunctis, partem aliquam in somniorum productione tribuamus.

§. XIX.

Itaque succincta hac sententiarum de somniis historia ad hanc usque periodum perducta, venimus iam ad vltimam huius historicae sectionis partem. Ad eos denique progredimur, qui naturam somniorum non ex solius animae viribus, nec ex solo Mechanismo corporis, sed ex vtroque principio inter se coniuncto, explicandam esse, recte omnino statuunt. Huic sententiae maximi inter recentiores philosophos subscripserunt, quos in altera huius Dissertationis sectione duces habebimus. Celeberrima horum Virorum nomina hic adponerem, ut hisce pagellis insigne decus et praefidium inde veniat, nisi fama Excellentissimorum Virorum, qui inprimis inter
nostra-

(k) de Diuidat. l. 2. edit. parisi. ror. STEPHANI.

nostrates de Philosophia *Leibnizio - Wolfiana* immortaliter meruerunt, et ex quorum numero sunt, quos Praeceptores nactus, pie veneror, adeo vndique percubuisse, ut ne vllus quidem harum rerum vel mediocriter peritus facile ignoret, quam sit eximius honor nominibus Excellentissimis, *Praefidis*, IOA. FRID. STIBRI ZII, GÉO. FRID. MEIERI, ALEX. GOTL. BAYMGARTENII, aliorumque, quorum meritis silentio meo nihil detrahere volo, debitus.

§. XX.

Filium hic abrumpo, contentus, si candido Lectori hac historica sententiarum de somniis recensione, fidem et adfuitatem adprobauero. Quotquot omni adhibito studio inuestigare potui, aut loco quodam in hoc specimine dignas esse arbitratus sum, congeffi. Ad ea iam propero, quae reliqua sunt, ut metam, quam mihi proposui, feliciter attingam.



SECTIO POSTERIOR

IN QVA

VERA INDOLES SOMNIORVM

E X

NATVRA ANIMAE NOSTRAE, CORPORIS
CONDITIONI SE ACCOMMODANTIS,
ERVITVR.

§. XXI.

Antequam ad opus, quod superest, me accingam, vel tribus verbis ratio huius Instituti exponenda erit. Rem a Celeberrimis Viris dudum cum insigni laude actam (1) agerem, si totum doctrinae

Nexus et Instituti ratio.

(1) Ne illos commemorem, qui in Psychologia totam hanc doctrinam ex primis principiis satis copiose et eleganter explicarunt, ex recentioribus Triumuros in hoc negotio facile principes reuerenter nominasse sufficiat.

nae de somniis complexum, quatenus scilicet ad Philosophiam iure pertinet, euoluere animus esset. Vereor enim, ne multa de argumento a doctissimis Viris excusso, locutus, parum Lectoris commoda iuuarem. Id potius agam, ut ea duntaxat, quae mihi in hoc negotio maxime attendenda visa sunt, breuiter sed ordine et nexu suo rite inuicem iuncta, proponam, adpersis hinc inde locis ex veterum monumentis petitis, quae huic doctrinae lucem quandam foenerari, et si non magnopere fallar, vitile dulci miscere poterunt.

§. XXII.

Quid sit vigilia,

Facultas sentiendi seu SENSUS repraesentat statum, tum animae, tum corporis, adeoque vel *internus* vel *externus* est. *Sensationes*, per illum actuatae, *internae*, per hunc productae, *externae* audiunt. His coexistere solet conueniens motus quarandam corporis nostri partium, quas *Organa sensus* dicimus. Locus, in quo constituta obiecta, organa sensus tam apte mouere possunt, ut clare sentiantur, est *sphaera sensationis*. Huius conuenientissimus locus est *Punctum sensationis*. Externe dum clare sentio, *vigilo*. Ergo Status, in quo externe clare sentio, est *VIGILIA*.

Haec principia accepta refero Cel. ALEX. GOTTL. BAYMGARTEN (m). Iusto breuior mihi esse videtur IO. PETREVSCHIVS (n), qui Vigiliam statum, quo obtinent in nobis sensationes, dicit. Int-rim

ficiat. Primum honorifice appello Excellentissimum Praesidem, Praeceptorum optime de me meritum, qui tum in libro vernacula lingua conscripto, *Erläuterung der wolffischen vernünft. Ged. von allen Dingen überhaupt, der Welt, und der Seele des Menschen*, tum dedita opera in Commentatione de Somniis, patrio itidem sermone conscripta, et Volumini II. *der Schriften der prüfenden Gesellschaft*, p. 1 sq. inserta, huic doctrinae plurimum lucis ex principis Philosophiae *Wolffianae* affudit. Egregie, de hac Psychologiae parte, ut de multis aliis, meruit, Excell. GEO. FRID. MEIER, cuius de Somniis meditationes, in

Systemate Psychologiae, quod germanico idiomate edidit, et passim in Schediasmate, quod inscribitur, *Versuch einer Erklärung des Nachwandelns*, § 20. 21. obuia, laude haud indigent. Nec silentio praeteriundum est elegantissimum de Somniis Scriptum Celeb. FORMEY, quod extat in *Mélanges philosophiques* T. I. p. 174 sq. ANDR. BAKTERVUS (§ VIII.) sua quidem laude non defraudandus est, ob malam autem, quam tuetur, causam, minime hic in censum venit.

(m) Metaph. §. 535-537. 552.

(n) Metaph. §. 347.

Interim cum claritas sensationum vel nostra ipsorummet, vel ex organorum sensoriorum culpa et defectu, impediti possit, ea omnino dispositio organorum hic a nobis supponitur, qua producendis claris externis sensationibus aptae eadunt. Excell. GE. FR. MEIER, qui hanc Vigilae definitionem non satis exactam esse, nuperrime pronunciauit (o), aptam dispositionem organorum non solum sensus, sed etiam motus, ad Vigilae notionem retulit. Vir Excell. Praeceptor optimus, de toto complexu eorum, quae statum Vigilae concernunt, loquitur, adeoque ut videtur, terminum Vigilae alio, quam a nobis sit, sensu sumit. Haec sunt Viri Excellentissimi verba (p): Ich setze nemlich voraus, daß wir durch das Wachen denjenigen Zustand verstehen, in welchem wir unsere Arbeit und Berufsgeschäfte verrichten, mit andern uns unterreden, essen und trinken, spazieren geben und dergleichen Handlungen mehr zu thun im Stande sind. Et alio loco (q) his verbis vitur: So wie ich in dem vorbergehenden Absatze den Zustand des Wachens betrachtet habe, so kan er das völlige Wachen, oder der Zustand des vollkommenen Wachens genennet werden.

§. XXIII.

Oppositorum cum opposita sit ratio, facile liquet, *Somnum* Quid somnus nobis dici statum obscurarum sensationum, in quo vitales motus sit? corporis quantum obseruatur, fere iidem manent (r). In hoc statu constitutus, dormit. *Somnus est profundior*, si vna cum sensationibus claris phatasinata omnia cessant.

Hinc *euigilare* dicimur, si sensationes clarae recurrunt. Fibrillae neruae, dum dormimus, in eo sunt statu, ut ab actione sensibilis in Organon non facile is motus, qui speciem impressam constituit, iidem imprimi possit (s). Ergo vel nulla vel admodum leuis mutatio in organo sensorio producitur. Hinc etiam motus non ad cerebrum propagari potest. Vnde, cum non detur in anima perceptio obiecti sensibilis, nisi motus nervo sensorio impressus ad cerebrum propogetur (t), apparet, somnum recte dici statum obscurarum sensationum.

D 2

§. XXIV.

(o) in dem Versuch einer Erklär. des Nachwandels, §. 13. 16.

(p) l. c. §. 15.

(q) l. c. §. 16.

(r) Hanc restrictionem Excell.

EAUMGARTEN ea mente addit, ut somnus a deliquio animi et a morte distingueretur.

(s) v. WOLFFII Psychol. ration.

§. 247.

(t) Id. ibid. §. 11.

§. XXIV.

Status ani-
mae in vigi-
lia et somno.

Anima, dum vigilamus, est in statu perceptionum distinctarum; si dormimus, est in statu perceptionum obscurarum. In statu vigiliae anima sui ac rerum perceptarum sibi conscia est, (per principia Psychol. empyr. et ration.) distinguit itaque partiales perceptiones in totali. Hinc etiam perceptio totalis distincta est. Ergo est in statu perceptionum distinctarum (u). Aliter autem res se habet, si dormimus. In hoc enim statu totalem perceptionem a partialibus non distinguimus. Ergo partiales clarae esse nequeunt, sed obscurae sunt (x).

Probe hic distinguendum est inter Somnum *profundum*, et, quem dicunt, *communem*. Non semper sunt obscurae perceptiones animae, si somno indulgemus. Haec itaque de *Somno profundiori* (§. 22.) tantum intelligenda sunt, non autem de Somno quocunque, ut ex infra dicendis apparebit. In eodem obscurarum perceptionum statu est anima, si quis deliquium patitur, aut apoplexia corripitur.

§. XXV.

Somnia definiuntur.

Iam ad ipsam de somniis doctrinam propius excutiendam accedimus. Somnia, medium quoddam, somnium inter et vigiliam, constituunt. Definitionem somniorum, quam hic suppletare constitui, indubiis rationis et experientiae principiis superstruam. Cum totas, ut CICERO inquit, noctes somniamus, mirarer, si quis esset, qui nunquam propria experientia aliquid de vera eorum origine didicerit. Id nemo quidem inficias ibit, somniantes haud raro multa animo voluere. Hinc adparet, animam nostram, si somniamus, harum vel illarum rerum sibi consciam esse: quae autem neque praesentia, neque futura esse possunt, cum prius sensuum durante somno impotentia, alterum autem limites humani intellectus, non permittant. (y) Nihil itaque reliquum est, quam ut anima in somnio, rebus iam dudum praeteritis inhiat. Aequae testatur experientia, eam haud raro res absentes admodum clare percipere. Perceptiones rerum, quae olim praesentes fuerunt, dicimus *Imaginationes*, quae si nobis dormientibus obuerfantur et clarae sunt, *Somnia* dicuntur.

Hanc

(u) Id. ib. §. 11. 12.

(x) Id. Psychol. empyr. §. 30. 44. (y) v. Excell. Praesidis Abhandlung von den Träumen l. c. §. 16.

Hanc somniorum definitionem, ut methodi regulas observarem, hoc loco praemittere vitum fuit. Reliqua in subsequen- tibus, ex ipsa animae nostrae natura et amica cum corpore coniunctione, evolu- entur. De somniis subiective dictis, me loqui quilibet facile perspiciet.

§. XXVI.

Diuersae dantur somniorum species. Disperscuntur *vel* respectu Somniorum ad originem et naturam eorum habito, *vel* ratione successione phan- diuisio. tasmatum, *vel* denique ratione status subsequen- tis. Hinc oriuntur distinctiones, tum inter *somnia naturalia, praeternaturalia et super- naturalia*, nec minus inter *clara et obscura, tum inter simplicia et composita, tum denique vera inter et fallacia*. His definitionibus, apud omnes Psychologiae scriptores obuiis, non immorabimur.

§. XXVII.

Si somniorum veram indolem accurate scrutari volumus, a prima eorum origine initium fieri debet. Quam sint diuersae et multifariae somniorum causae, non ignorant, qui seipos norunt, aut experientia aliorum edocti et Physiologiae principiis vel parum imbuti sunt. Non iusto longior in illis recensendis ero. Primam somniorum originem a sensatione quadam proficisci, hoc loco velut in transitu moneo. Multa variae corporis nostri indoli, quin etiam adfectibus, qui suo nos coercent imperio, aliisque fortuitis casibus, in hoc negotio tribui debere, tam veteres, quam recentiores, perspexerunt. Acutissime de his differit Cel. FORMEY. (2) Potiorem, quae a corpore pendenda est, rationem, in iusta proportione et quantitate spirituum vitalium ponit: utpote quorum abundantia aut defectus profundioris somni causa, adeoque somniorum impedimentum, est. Ex his, quae brevissime in hanc rem dicta sunt, multisque, si tempus permitteret, locupletari possent, adparet, infinitas cogitari posse causas, quae in nobis, dum dormimus, sensationem excitare, adeoque somnio an- sam praebere valeant.

Prima somniorum origo.

Cum Cel. FORMEY sententia conueniunt, quae ARISTOTELES

(a) refert, humorum nimiam copiam somnia vel prorsus extinguere, D 3 vel

(2) loco supra citato (§. I.) p. 104. edit. Paris. Multa etiam de calido, ex alio corpore ad intimas partes perducto, in hanc rem differit

(a) libro de Insomniis, cap. 4. pag. 185 sqq. res perducto, in hanc rem differit

Proble-

vel saltem ingratham formam ipsis inducere. Hinc somnia circa crepusculum oborta, veriora et efficaciora esse, dicit SEPTALIUS, (b) quoniam puriores sunt tunc temporis, et minus turbulenta illae Imagines, quae in sensu fuerint, cum iam cessauerit illud, quod eas conturbare et confundere poterat. Cael. FORMEY (c) primo diluculo somnia nobis frequentissime adparere, adfruit. HORATIVUS autem (d) mediam noctem tempus esse, quo vera suboriantur somnia, nobis persuadere vult, his verbis:

QVIRINVS

Post mediam noctem visus, cum Somnia vera
Quo etiam illud Ouidii (e) pertinet:
Alliciunt somnos tempus motusque merumque.

§. XXVIII.

Vera somniorum indoles generatim proponitur.

Iam ad veram somniorum indolem inuestigandam progredimur. Plerumque in somnio non nisi res absentes et praeteritas cogitamus, unde factum est, ut plurimi crediderint, somnia solius phantasiae aut imaginationis opus esse. Melius alii statuunt, facultatem fingendi, quae animae nostrae competit, in productione somniorum nostrorum cum Phantasia simul agere. Hinc ratio patet, cur in somnio mirae rerum imagines, quas iure Chimaeras dixerimus, animo nostro obversentur.

§. XXVIII.

Omne somnium a sensatione originem trahit, et Phantasmatum successione continuatur. Anima in somnio cogitat res, quae olim praesentes fuerunt, (§. XXV.) adeoque imaginatur, seu phantasmata producit. Iam sine sensatione nullum Phantasma oriri potest; (per princip. Psychol. empyr.) ergo somnium a sensatione oriatur, necesse est. Associatio idearum plura producit Phantasmata, (per leges imaginationis et memoriae). Ergo somnium serie successiva phantasmatum continuatur. In hoc negotio facultas fingendi se exerit, unde fictiones vel verae vel chimaericae ortum trahunt.

Solemus quidem sensationes per maiorem, quae ipsis competit, claritatem, a phantasmate distinguere; cum autem in somniis phantasia

Problematum S. 10. Probl. 14. VI. de SEPTALII Comment. ad hoc Problema p. m. 376 sqq. SOCRATIS iudicium apud CICERONEM lib. I. de diuinat. pag. 181. edit. Paris. 1808.

STEPHANI, attentione dignum est. (b) loco cit. p. 378. (c) loco cit. pag. 182. (d) Satyra 10. lib. I. (e) Fast. lib. VI. vers. 681.

fiā imperium in animam nostram exerceat, sensatio, quae prima quasi stam na somnii continet, adeo debilis est, vt saepissime difficile fit, eam obseruare. Hinc petenda est ratio, cur tam raro perspiciamus, vnde hoc vel illud somnium originem duxerit. Si vero, quod non nunquam accidit, haec sensatio fortior fit, tunc somnii causam facile determinare possumus. Si quis, vt haec exemplo illustrem, in somno manum ad parietem allidit, et laesio inde orta leuis est, tunc somnium quidem orietur, quod huic sensationi conueniens est, sed si cuiusdam, difficile erit causam illius detegere: si autem laesio maior et fortior fuerit, ita vt dolorem somno soluti adhuc sentiamus, tunc facile nobis erit perspectu, vnde somnium hoc venerit.

§. XXX.

Ea nobis somniantibus plerumque obuersantur, quae vigilantes intentiori studio agimus, aut vehementer optamus. Non est, quod multis haec demonstram, cum ex ipsa facultatis imaginandi natura pateat, faciliorem esse imaginationem, si illius, quod imaginamur, clarior sensatio praecesserit. Non a scopo nostro alienum erit, veterum scriptorum testimoniis huius asserti veritatem confirmare. Insignis in hac re testis est CICERO. (*f*) *Naturam inquit, eam dico, qua nunquam animus insitens agitatione et motu esse vacuus potest. Is cum languore corporis nec membris vti, nec sensibus potest, incidit in varia visa et incerta ex reliquiis --- inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitarit.* PLUTARCHI (*g*) verba ex latina XYLANDRI interpretatione adponam. *Fit interdum, inquit, vt cogitationis sermonesque nostri pariant aliquid in somno iale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui.* CLAUDIANVS (*b*) elegantissime cecinit:

Omnia quae sensu voluntur vota diurno
 Pectore sopito reddit amica quies.
 Venator defessa toro cum membra reponit,
 Mens tamen ad siluas et sua lustra redit;
 Iudicibus lites, aurigae somnia currus,
 Vanaque nocturnis meta cauetur equis, etc.

His

(*f*) de Diuinat. l. II.
 (*g*) in vita Annibalis.

(*b*) in praef. ad Panegy. de VI.
 Consul. Honorii Augusti.

His addimus LUCRETII (i) verba:

Et quoi quisque fere studio deuinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum fumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens
In somnis eadem plerumque videmur obire:
Caustidici causas agere - -

§. XXXI.

Defenditur.

Quae lucusque de vera somniorum indole et natura differimus, breuiter quidem a nobis dicta sunt, ita tamen, vt ex his rationis aequae ac experientiae principiis quilibet, a praeeconceptis opinionibus liber, perspicere queat, nos veram huius Phaenomeni indolem attigisse. Superest, vt vna alteraque difficultas, contra hanc somniorum explicationem mota, tollatur. Cum inter recentissimos illius oppugnatores ANDR. BAXTERVS (§. VIII.) emineat, cum illo nobis potissimum res erit.

§. XXXII.

Quae sententiae nostrae opposuit, ad duo momenta principaliora redeunt, scilicet *primo*, plurimas repraesentationes, quas in somnio habemus, non solum ab anima non produci, sed ipsi quoque inuitae obrudi; *dein*, nos facpius talia in somnio cogitare, quae animae nostrae vires superant. Prius euicturus ad illa *Lucretii* (k) verba prouocat:

Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt,
Et quasi pantherae morsu, saeuique leonis
Manduntur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per somnum rebus loquuntur,
Indicioque sui facti per saepe fuere.
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis
Se quasi praecipitent ad terram corpore toto,
Exterrentur; et ex somno quasi mentibus capti
Vix ad se redeunt permoti corporis aethus.

Posterius

(i) de rerum Nat. l. 4. v. 959 sqq.

(k) l. c. v. 1009 sqq.

Posterius autem multis exemplis eorum, qui in somno volare, aliaque homini impossibilia agere, sibi videntur probare annitur (1). At vero miramur, acutissimum virum tam inanibus dubiis se abripi passum fuisse, ut Spiritibus, quos sibi finxit, potius quam animae, somniorum originem tribueret. Vtraque haec difficultas a BAXTERO mota, facile, ut credo, euanescet, si modo consideramus, has imagines in somnio nobis oblatas, si vel maxime ingratae sint, Phantasiae illusiones esse, adeoque animae non obrudi, cum ipsa Phantasia ad facultates animae nostrae pertineat. Quicquid ergo ipsa anima agit, id illi obrudi nullo modo dicere possumus. Et si nonnunquam in somniis aliquid agere videamur, quod hominum vires superat, hoc effraeni et exorbitanti Phantasiae adscribi debet. His addimus, totam hanc obiectionem plus probare. Si enim haec argumentandi ratio valeat, quid quaeso de Phantasia, deliris, ecstatis, aliisque dicamus? Certe, si quid video, omnes huius generis homines pro obfessis habendi essent, quod tamen ne ipse quidem BAXTERVS facile assimauerit.

§. XXXIII.

Vt foecunditas principiorum, quae secutus sum, pateat, applicemus ea ad potiorum quorundam Phaenomenorum explanationem. Antequam hunc campum ingrediar, moneo, ex Somniorum indole, quam hucusque considerauimus, causam peti posse, cur in somniis obiectione spectatis ratio sufficiens desideretur. Imaginatio seminan-
Ad potiora quaedam Phaenomena explicanda applicatur.

tis omnia promiscue coniungit, quae olim sensu percepimus. Cum vero ex eo, quod olim res quasdam simul percepimus, nulla desumi possit ratio, cur vna posita etiam altera ponenda sit, sequitur, rationem sufficientem a somniis nostris, si obiectione spectentur, exulare.

§. XXXIV.

Experientia iam a longo inde tempore docuit, nihil facile nobis in somnio nouum et insolitum videri. Ratio huius Phaenomeni non
Nihil somniantium nouum videtur.

(1) in Libro qui inscribitur: an Enquiry into the Nature of the human Soul, Vol. II. p. 13. 17.

non adeo abdita est, vt nos plane fugiat. Si nobis vigilantibus aliquid obuenerit, quod nunquam antea experti fuimus, fortius omnino sensus nostros ferit, quam quidem alia quotidie obuia. In somnio autem sensuum ministerio parum fruimur, nec sola rei cuiusdam imago eadem vi, quam ipsa res, sensus nostros addicit. Hinc fit, vt si quid nouum et insolitum nobis somniantibus obuersetur, nouitate plane non adsciamur.

§. XXXV.

Absentia somniantibus praesentia videntur.

Eadem fere ratione res absentes in somnio vt praesentes spectari solent. Cum enim sensationes plerumque in somnio admodum debiles sint (§. XXVIII.): phantasmata ab ideis sensualibus parum distinguimus. Hinc etiam res praesentes, quas ope sensuum perspiciamus, cum absentibus quae per Phantasiam nobis repraesentantur, pro iisdem habemus.

§. XXXVI.

Num somniantes futura praecideant.

Multa omnino attentione digna sunt, quae de futurorum praescientia in somniis differuntur. Ea omnia autem vel ex facultate praecidendi fluunt, vel ad inania signa recidunt. Inficiari nolo, somniantes, aequae ac vigilantes saepius secundum leges praecisionis haec vel illa praecidere, sed caueas, ne quid supra hominum vires positum huic Phaenomeno inesse, dicas. In supernaturalibus quidem somniis, (§. XXVI.) de quibus, si Deus vires concesserit, alio tempore differam, talia nobis eneniunt: hoc autem loco, vbi de naturalibus somniis loquimur, id nobis agendum est, vt omnia, quantum fieri potuerit, ex ipsius animae nostrae vitibus explicemus. Res haud adeo ardua est, ex praecisa quarundam circumstantiarum coëxistentia, hoc vel illud colligere. Quidam itaque etiam animae nostrae in somnio haec facultas competet?

§. XXXVII.

Interim tamen multa apud veteres narrantur, quae attentione omnino digna sunt, et forsitan adhuc digniora essent, si constaret, eos ab omni superstitione liberos fuisse. Ad ea pronoco, quae cr-

CERO (m) PLVTARCHVS (n) et XENOPHON in hanc rem concesserunt, quae pluribus his exponere, temporis breuitas prohibet. Multa etiam nostris temporibus de huiusmodi somniis, in primis morientium, circumferantur, quae plenior omnino considerationem mererentur, si modo limites huius Scripti et temporis angustiam id permitterent. Suum cuique de huius generis somniis liberum esto iudicium, id tamen facile vnus quisque concesserit, circumspectione in hoc negotio maxime opus esse.

§. XXXVIII.

Ex his liquet, quam incertam et lubricam artem exerceant, qui somniis interpretandis operam dant. Multi veterum agnouerunt, his somniorum interpretibus parum fidei deberi, cum plerumque auri sacra fame inducti his nugis operam nauarint. Ex magno testium apparatus ENNIVM produco, cuius verba apud CICERONEM (o) leguntur:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
 Non vicanos aruspices, non de circo astrologos,
 Non Iliacos coniectores, non interpretes somnium:
 Non enim sunt ii aut scientia aut arte diuini,
 Sed superstitioni vates impudentesque harioli,
 Aut inertes, aut insani, aut quibus egestas imperat:
 Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
 Quibus diuitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt
 De his diuitiis sibi deducant drachmam, reddant caetera.

§. XXXVIII.

Absoluta hac, de somniorum prima origine veraque indole, doctrina, nihil reliquum est, quam vt eorum durationem et finem adhuc paucissimis consideremus. Ad durationem somnii quod attinet, nouimus, illud per seriem phantasmatum continuari. (§ XXIX.) Sed non eadem semper est continuati somnii ratio. Fit subinde, vt phantasmata per sensationem, quae primam somnio occasionem suppe-

(m) l. I. de Diuin.
 (n) in Lucullo, et Sylla.

(o) exeunte l. I. de Diuin.

suppeditaunt, producta, haud interrupto ordine se excipiant. Interdum vero accidit, ut noua quaedam interueniat sensatio, quae phantasmatum priorum successione interruptit et nouam eorum seriem producit. Si prius, somnium dicitur *simplex*, si autem posterius, dicitur *compositum*.

§. XXXX.

Duplici modo finiuntur somnia. *Vel* enim claritas phantasmatum minuitur, et tunc profundiori somno opprimimur: *vel* sensatio, quae prima somnii causa fuit, successiue fortior euadit, ita ut euigilemus. Haec autem cum leuiora sint, nihil addam. Metam hanc feliciter tandem consecutus, hoc specimen amico lectorum examini subiicio. Si summum, quod veneramur, Numen, vires concesserit, hanc priorem Dissertationem mox altera excipiet, in qua de supernaturalibus et diuinis somniis agere conftitui.

F I N I S.



ULB Halle
002 187 531


3



sb







B.I.G.

Farbkarte #13

20

18

1758

99

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
S O M N I I S

QVAM
INDVLTV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
P R A E S I D E

VIRO EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO
IO. FRIDERICO STIEBRITZ

PHILOSOPHIAE, OECONOMIAE, POLITICAE ET CA-
MERALIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ALVMNORVM
REGIORVM EPHORO, ACADEMIAE SCIENTIARVM MO-
GVNTINAE SODALI,

PRAECEPTORE AC FAVTORE SVO
PIE COLENDO,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
RITE OBTINENDIS


D. XIII. OCTOBR. MDCCCLVIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS SCHVLZE

HALENSIS,

ALVMNORVM REGIORVM ET SEMINARII THEOL. INSPECTOR,



HALAE,
EX OFFICINA FRANCKIANA.

